



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

XI. Grammaticae docendae munus abdicat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A *αρχαία, ὅτι ἐκ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς πῶς ἐκείνη τὴν βιβλίον εὐεργετοῦ ἔχει ἡ Ἰουλιανὴ ἢ παρ' ὧν ἐκείνη ἀποκρίσθη, κροῖσθαι ὁ κροῖστος παρ' αὐτῆς. ἢ ἡ ἀρχὴ τῆς αὐτῆς συμμάχου τῆς ἰουλιανῆς ἢ ἡ ἰουλιανὴ αὐτῆς εὐεργετοῦ.*
 Manifesto hæc sibi repugnant: nam si librum illum manu sua exaravit Origenes, quomodo illum à Symmacho habere potuit Iuliana? quomodo eum apud Iulianam Origenes reperire? Lege, *ἄπο ἰουλιανῆς*. proclivia fient omnia. Sese in antiquissimo libro verba hæc manu Origenis scripta reperisse ait Palladius: *Hunc librum invenit apud Iulianam virginem, in Caesarea civitate, dum apud ipsam laterem, quæ illam ab ipso Symmacho interprete Iudeorum se accepisse referebat.* Quoniam autem alibi docet Eusebius Symmachi Commentarios in Evangelium Marthæ, & ab eo concinnatam Scripturæ interpretationem, à Iuliana Origenem accepisse, quæ ea porro jure successionis ab ipso Symmacho habebat, inde collegit Baronius
 B ex iis Symmachi libri memoratis ab Eusebio unum cum fuisse, quem manu Origenis notatum vidit Palladius; vel Commentarios nempe in Matthæum, vel Interpretationem ipsam Scripturæ. Præterea non alia Origenem de causa latuisse apud Iulianam censuit, quam ut aliquam Ethnicorum adversus Christianos Persecutionem devitaret, vel Severi scilicet, vel Maximini, vel Decij: cum Maximini autem vel Decij ætate hi iam Symmachi libri exiissent in lucem, & ad Origenis proinde notitiam venissent, tum certe ab eo fuisse inventos, dum Severi bellum in Ecclesiam fereret. Halloxium traxit in assensum ea Baronij ratio, quam accuratius tamen excutiamus. Quem librum Origenis manu notatum vidisse se ait Palladius, is erat antiquissimus: atqui Palladium ducentis circiter annis Symmachus antecessit. An vero ducentorum annorum codex, antiquissimus dici possit, existiment eruditi, qui sciunt quot sæcula ejusmodi codices durando vincere soliti sint. Symmachum ergo liber iste auctorem non habuit. Quos autem à Iuliana Symmachi libros accepisse Origenem prodit Eusebius, ab ipso fuerunt Symmacho elaborati. Ad hæc fuit *αρχαία* ille Codex quem vidit Palladius: at neque Symmachi Commentarios, neque Scripturæ Interpretationem, *αρχαία* fuisse scripta cuiquam bene sano persuadebitur. Alius ergo fuit ille Palladio commemoratus liber, alij Eusebio. Nec mirum sane utrosque à Iuliana accepisse Origenem, cum verisimile sit universam Symmachi Bibliothecam ad Iulianam hereditario jure pervenisse, cuius ipsa deinde Origeni copiam fecerit. Hinc ergo frustra concludit Baronius Symmachi interpretationem & Commentarios tunc ab Origene fuisse inventos, cum imperium teneret Severus, & Ecclesiam male haberet, propterea quod jam tum in Origenis, omniumque adeo manus venerant, cum Maximinus, aut Decius Christianam rempublicam oppugnarunt. Ac si fieri non potuerit, ut quamvis jam innotuissent multis hæc lucubrationes Symmachi, ipsum tamen Origenem aliis distinctum rebus effugerint. Eandem ejus latitationem narrat Eusebius, ipsum
 C que ait ex ædibus in aedes fugientem migrasse, non ex urbibus in urbes; & tota urbe nequam potuisse occultari, non vero Alexandrinis finibus excessisse. Tum continuo subijcit tot ejus exemplo ad Christi partes fuisse adductos, ut crescente in dies Catechumenorum numero, quos ipsi soli instituendos commiserat Demetrius Alexandrinus Episcopus, Grammaticæ artis professione se abdicaverit. Quibus ita ab Eusebio conjunctis quis tam longinquum, tamque diuturnum iter putet intercessisse? Cum illud ergo tempori huic minime possit aptari, commodius aliud infra reperire conabimur.

usq. Hist. lib. 6. 17

Eu. lib. 6. cap. 3.

XI. Confluente in dies ad Origenem, ut dixi, auditorum numero, quos partim Grammaticæ studium, partim Christianæ doctrinæ percipiendæ cupiditas alliciebat, parum sibi convenire credidit tradere elementa literarum, qui Verbo Dei hominum mentes posset imbueret. Quamobrem abrogavit sibi tradendæ Grammaticæ munus, & ad celebrandas meliores doctrinas se convertit. Atque hinc imminutos rei familiaris fructus ut sarciret, professorio muneri utiles libros, quorum pretiosa ipsi suppellex erat, distraxit omnes, ac diurnæ quatuor obolorum pensionis pretio vendidit, ne operi suo destinatum domesticæ rei sollicitudo retraheret.

XII. Ad rerum divinarum studium accessit etiam virtutum omnium, quæ essent Christiano dignæ, usus assiduus. Dies docendo, noctes legendo conterebat. Iejunia longa, somni breves, quos humi tantum, vel in stercora abjectus capiebat. Frigoris ad hæc patientissimus; vini, olei, aliarumque rerum; quibus irritatur gula, & ad laborem ferendum remollescunt homines, abstinentissimus, usque adeo ut tentaretur valetudine, & stomacho laboraret. Christianum Philosophum vere dixisset. Cujus tanta fuit inter Gentiles Philosophos, & Christianos admirabilitas, ut ad ejus imitationem totos se componerent, ipsiusque adorationibus incensi palmam martyrij consequerentur. Hinc illi Plutarchi, Heraclides, Sereni, Heraides, & Herones, quorum morte Christiana res valde illustrata est.

XIII. Interea dum hæc geruntur corpus suum evirare Origenes ausus est, sive ferro
 excæcis genitalibus, ut crediderunt Hieronymus, & Nicephorus; sive medicamento exci-

Hier. ep. 66. Niceph. lib. 5. cap. 4.